Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3299
Quelle:
Copyright:

Philibertus nempe *Constantiens.* et *Petrus Augustanus* Episcopi. Dein: *Ad doctores:*

Sene ale Seraphice
doctores dicti iusticie
Quibus velata facies
pedumque dei species &c.

Et re ipsa totidem erant nomero inter Legatos Doctoratus gradu insignes, quorum nomina habes in *supracit.* Narratione T. XVII. *Concil. col.* 204. Demum ad Ceteros:

Vos reliqui legati
a Sinodo destinati
Viantis ecclesie
congregate Basilee &c.

IV. Sine Titulo, Sermo, quo Legatorum aliquis exponit, quid Legatio privatim de IV. *Bohemorum* Articulis sentiat. Incipit: *Secundum ea que in Basilea sunt actuata tam in disputacionibus publicis quam in tractatibus aliisque collocucionibus non existimabamus a nobis expeti debere quid de vestris quatuor articulis sentiamus* &c. Exponunt tamen iterum mentem suam, commendant unitatem et concludunt: *Hec offerimus quam clarius possumus circa vestros articulos dicendo quid nos ex nobis ipsis sentiamus. Si autem aliqua occurrunt dubia vel super quibus velitis a nobis plenius informari parati sumus deo propicio declarare et vos plenius informare.* V. *Ex parte Ambasiatorum concilij.* Adlocutio, quae incipit: *Cum Ambasiatores vestri erant Basilee per medium Illustris principis domini ducis Wilhelmi sacri Concilij protectoris deuentum est ad tractatus* &c. Tractatus hi edisseruntur in saepe *citata* Narratione T. XVII. *Concil. col.* 203. Adlocutionis vero nostrae particulam aliquam recitat *Cochlaeus* L. VII. p. 258. e quo illud etiam innotescit, Autorem ejus esse *Joh. Palomarium* seu *Polemarium* Archidiac. *Barcinon.* et Palatii Apost. Auditorem. VI. Sine Titulo, *Bohemorum* Replica, cujus initium: *Pro iustificatione responsionis nostre ac pro elisione replice vestri eximij domini Auditoris* (en Palomarium) *nuper oblate salua semper honestate ac pace duplicando respondemus* &c. Etiam hujus Replicae contenta recenset *Cochlaeus* L. *cit.* p. 259. qui *Rokyczanam* in ea Concilium *Constant.* aperte impugnantem autorem facit. VII. *Sermo ex parte Ambaxiatorum concilij per Dominum Auditorem.* Nempe *Joh. Palomar.* Incipit: *Benedicta sit sancta trinitas* &c. cujus thematis rationem dat, quod *dies benedictissime trinitatis huic conuencioni condicta* fit. Ceterum Bona Pacis exponit. VIII. Sine Titulo, Sermo ejusdem argumenti, cujus initium: *Saluator noster dominus ihesus christus et magister verax* &c. Meminit in hoc Sermone Orator ἀνωνυμος alterius: *Hinc non immerito al-*